SOLLEMNIA

IN

ILLVSTRI RVTHENEO

SVB INITIO ANNI MDCCCXL.

D. II. IANVAR. HORA XI. ANTEMERIDIANA

EX INSTITVTO MAIORVM

RITE PERAGENDA

PVBLICE INDICIT

M. CHRISTIANVS GOTTLOB HERZOG

PROFESSOR ELOQ.

Observationum particula XII.

in qua nova tentatur interpretatio loci, qui est in Taciti vita Agric. c. 6. *Ludos et inania honoris* etc.

GERAE

EX TYPOGRAPHIA AULICA.

Latine scribendi et commentandi mos, per manus quasi a prioribus acceptus, quamquam a nonnullis nostra aetate impugnatus elegantioris doctrinae sectatoribus, firmum quoddam et honestum nactus est praesidium ipso illo, quod fere ubivis obtinet, majorum instituto, quo vel orationibus publice habendis, vel Sollemnibus quibusdam rite peragendis Latino potissimum sermone praefari atque diei alicujus sollemnitatem Latinis literis indicere doctoribus atque magistris mandatum est. Quae consuetudo uti ab vetustate multis nominibus commendatur, ita per se spectata nihil prorsus fert incommodi, nedum damni aut detrimenti: immo incitamenti aliquid simulque oblectamenti animo atque ingenio praebet. Est enim illa Latine scribendi exercitatio grata veluti et blanda peregrinatio, sensuum nostrorum ad optima quaeque dicendi et cogitandi exempla accommodatio, libera quaedam et ingenua, non vero servilis aut obnoxia praestantissimorum scriptorum imitatio totiusque nostrae naturae in alienam, sed bonam atque egregiam indolem veluti conversio. Quare qui huic vel arti vel exercitationi obtrectant, et quidquid ei laudis atque honoris adhuc tribuitur, eo potissimum infringere aut imminuere student, quod plerique nostro saeculo Latine scribentes quantumvis multo labore ac studio nihil assecuti videantur, nisi ut palam exemplo suo ostenderint, quantum distent ab antiquis scriptoribus, id saltem voluptatis concedant quaeso literarum Latinarum doctoribus, ut de rebus antiquis prisco sermone disserere liceat. Neque enim legimus Ciceronem poenituisse aut puduisse, quod Graece de consulatu suo exposuerit, quodque Graece apud Molonem declamitaverit, etsi non dubium est, quin ille nec

Thucydidis in rebus enarrandis gravitatem nec Xenophontis suavitatem repraesentare potuerit, non magis quam Demosthenis in perorando vim atque ornatum. Satis illi fuit, ingenium et animum orisque et linguae facultatem ad optima Graecorum auctorum exempla composuisse et conformasse. Quae non monerem, nisi nuper singulari libro vir quidam doctus demonstrare conatus esset, quam non supervacaneum modo, sed vanum prorsus et irritum atque etiam damnosum sit Latine scribendi ac dicendi sive studium sive artificium: proculque ex publicae institutionis usu profligandam esse utramque illam exercitationem tamquam vernaculam et plebejam et quae nihil habeat veteris nec gratiae nec dignitatis. Neque defuere, quibus haec ita dicta et improbata adeo arriserint, ut vel summo cuidam Latine dicendi et scribendi de gente nostra auctori excellentiae hoc in genere et laudis palmam praeripere tantique nominis lumini livoris sui et malevolentiae virus obfundere tentarent: quos equidem censeo triste sane edidisse documentum, quam vere quondam fuerit judicatum a Tacito, nostri quoque saeculi mores per contrariam sententiam denotante: virtutes iisdem temporibus optime aestumari, quibus facillime gignuntur. [*])

Sed quum mihi longe alia mens sit atque illis, de quibus dictum est Latini sermonis nostra etiamnum aetate usurpandi contemptoribus, pauca haec veniae petendae sufficiant praemonita; reliquum est, ut argumentum dissertationis excusem apud eos, ad quos tales scriptiunculae vel honoris caussa vel per familiaritatem aut studiorum necessitudinem deferri solent. Exposi-

---

[*]) In libro illo, qui inscribitur: *Ueber die Nothwendigkeit einer Abstellung des Latein-Schreibens und Redens auf Schulen und Universitäten von I. W. Neumann. Berlin 1839.* inter alia argumenta, quibus causam suam defendere conatus est auctor, leguntur haec: „*Das Latein der Neuern ist die seltsamste Mischung der Sprachen aller Zeitalter, aus denen lateinische Schriften auf uns gekommen sind, und sie würden den Römer ungefähr so gemahnen, als uns Deutsche eine Rede, die aus der Sprache des Nibelungenliedes, Otfried's, Wolfram's v. Eschenbach, des Theuerdanks, Luther's, Logau's und Hofmannswaldau's und der neuern Zeit zusammengesetzt wäre.*" Piget transscribere verba Censoris, qui nomen suum professus est in Annalib. Halens. (*Hall. Jahrb.*) Num. 179. 80. 81. a. 1839. cui placuit sententiam illam auctoris cumulo quodam sive argutiarum sive dicacitatis communire. Ego autem cum aliis multis potius satiusque duco auctoritatem sequi atque exemplum summi Ernesti, cujus moderatum prorsus et consideratum eadem de re judicium legitur in Praef. libri celebratissimi: Initia doctr. solid. p. XV. sqq.

tum erat a me programmate superioris anni de natura particularum *nisi* et *ni* paullulum inter se diversa, usu certe non pari, rationemque inieram eam, quae praeter ceteras expedita videbatur: scilicet per exempla, a Tacito inprimis in vita Agricolae suppeditata, ad liquidum rem perducere studebam: addita erant alia nonnulla a Sallustio petita. Ipsa autem illa familiaritas inita et recentis studii amoenitas neque ab opere modo inchoato me recedere sivit et operam semel impensam continuare eo magis jussit, quo plures in eodem illo Taciti libello reperiuntur loci, qui quantumvis a multis multum exagitati haud pauca etiamnum interpreti pariter atque lectori dubitandi atque haesitandi copiam facere videantur. Ex his autem locis impeditioribus jam facto delectu novo examini subjicere in animo est talem, cui non tam ab arte critica medelae aliquid adferri posse pro certo habeo, quam a verborum et locutionum, quibus auctor usus est, vera et apta interpretatione. In quo quidem tentamine id experientia non magis quam comparatione facta edoctus sum, ad Sallustium interpretandum paratum quoddam et promptum subsidium ad obscuritates, quibus Taciti passim sententias obvolutas invenias, dispellendas usurpari non posse. Est autem ratio illa quasi subsidiaria nihil aliud nisi Graecorum scriptorum consultatio: quos ubi de locis Sallustii quibusdam ambiguis atque sententiis obscurioribus adieris, haud raro veram tibi viam monstrare dudum cognitum est, qua ad interiora sensuum et cogitationum penetralia deducaris. Etenim non sententias modo sat multas de rebus civilibus atque humanis a Graecis scriptoribus mutuatus est Sallustius, sed complures etiam dictiones atque singulares verborum structuras ad eorumdem auctorum exempla composuit, sic ut Graeca persaepe Latina non illustrare modo, sed ex prioribus illis posteriora haec originem plane traxisse videantur. Cujus quidem subsidii in Sallustio interpretando prosperrimo cum eventu adhibiti quum in Commentariis antea editis exempla prostant, tum nova aliquot talis imitationis documenta nostra Belli Jugurthini interpretatio propediem in publicum evulganda praebebit. At Taciti longe alia ratio est. Habet quidem genus ejus dicendi in verbis struendis et componendis cum Graecorum sermone aliquid similitudinis, sed quam merito fortuitam dicas et cum tota sermonis Latini, qualis tum erat, indole et natura necessario conjunctam. Tacitus ipse, quo erat animo atque ingenio, Graecorum dicendi ac sentiendi rationem nec imitando exprimere aut reddere voluit, et si voluisset, Graecorum speciem ac formam in se recipere eum non potuisse contenderim. Erat enim ex iis, qui Romanae mentis ac vetustatis perfectam et veram speciem revocare vitaque et moribus, quantum per temporum asperi-

tates et discrimina licebat, ostendere et palam facere eniterentur; [2]) qui quantumvis pauci essent, a puro tamen et sincero quum ingenii tum oris Latini habitu et colore recedere nollent. Quo fit, ut nulla prorsus Taciti cum Graeco aliquo scriptore justa et aequa institui possit comparatio, aut si quis ejus periculum fecerit, is frustra fuisse statuendus sit. Omnem enim ille orationis vel proprietatem vel novitatem suae naturae sanequam praeclarae suoque ingenio debere censendus est: ad augustam illam et sanctam vetustatis Romanae speciem atque imaginem generosum suum erexit animum, totus suis quasi mansit atque adhaesit popularibus civili quodam ac patrio vinculo adstrictus, denique unicus paene ex omnibus illius saeculi rerum scriptoribus, quos aetas tulit, prisco illo et casco virtutis et honestatis Romanae sensu perfusus comparet. Quare non dubito, quin suum utrique tribuerit, si quis Sallustium pleraque arti et studio accepta referre censeat, Tacitum natura duce atque fautrice viam qua incederet ipsum sibi et aperuisse et munivisse. Ex quo sequitur id, quod plurimum valet ad legem observandam et constituendam hanc, ut si qui hujus scriptoris locus ad intelligendum reperiatur difficilior non tam a verborum collocatione et structura, ea enim fere saeculi usui et dominationi obnoxia est, sed a significatione vocabulorum atque a sententia auctoris aliquanto reconditiore, is quoad fieri potest, expediatur et illustretur vel ex reliqua Taciti oratione genereque ejus dicendi cognito et comperto, vel ex tota, quam ipse palam fecit et manifestavit, sentiendi et judicandi ratione: ad Graecos fontes, qui aliis utique scriptoribus Latinis utriusque orationis, poetis maxime, large immo abunde manarunt, ne quis recurrat. Quo quidem praecepto non novi quid edicere consilium aut spes fuit, etenim quis talia nescit; sed Sallustii et Taciti, quamquam inter se multis nominibus similium, quam diversa sit ratio et conditio, significare volui, idque ea maxime de caussa, quod passim legere et audire memini, Taciti orationem Graeco admodum colore imbutam Graecisque veluti pig-

[2]) Pertinent huc, quae Tacitus nomine quidem ac verbis de Agricola, re autem ac sensu de semet ipso testatus est in vita Agricol. c. 42. „Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse; obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei post usum, ambitiosa morte inclaruerunt." Porro plane consentio cum auctore libri egregii: *Die Weltanschauung des Tacitus, von D. K. Hoffmeister*, de moribus atque ingenio Taciti ita in universum judicante: *Unsers Geschichtschreibers Ansicht* (*von der Tugend*) *wurzelt in alt- und ächtrömischer Volksvorstellung.* Cfr. p. 20.

mentis distinctam et variatam esse: quod longe secus est. Nam aliud est priores imitari suamque orationem ad exempla proposita de industria adaptare, aliud cum prioribus, qui ad nostram pervenere notitiam, in verbis atque sententiis quum nostra tum communi omnium ratione adnuente, conspirare: quorum illud Sallustii, hoc Taciti fuisse sine invidia dictum accipiatur. Pluribus autem argumentis id demonstrare, quamquam non inutile nec ingratum foret, tamen quod uberioris est disquisitionis, in proximam commentandi differo occasionem; nunc de re proposita animoque destinata agere libet.

Est autem locus apud Tacitum in vita Agricolae c. 6. anceps prorsus atque ambiguus hic: *Ludos et inania honoris modo rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior.* Longum est, varias enumerare ac recensere interpretum rationes, quibus suam quisque aut verbis expressit aut defendere studuit loci explicationem. Adeant, quorum haec cognoscere interest, Walchium, Rothium, Rupertum,[3]) quibus placuit hic illic dispersas interpretum sententias in unum colligere inque judicium suum vocare. Satis est nobis indicasse, in duas maxime partes discedere viros doctos, quorum alteri *ducere* notione accipiunt *existimandi*, alteri significatione propria et antiquissima, qua est *ducem* agminis alicujus aut negotii et si placet, *actorem esse.* Eadem autem sors huic loco contigit, quae aliis similis conditionis, ut *praedicato* enunciationis, quod vulgo dicitur, recte intellecto, reliquae membri partes sponte auctoritatem notionis primariae sequi videantur multoque faciliores ad intelligendum appareant. Ab arte critica, quam in auxilium accire sollemne est, nulla fere subsidii spes est. Nam quod in uno cod. Vatic. scriptum est *medio* pro vulgato *modo*, id quidem nonnullis haud indignum visum esse, quod recipiatur, valde miror. Neque enim pro idoneo argumento haberi potest, quod passim a Tacito vox illa *medio* simili substantivi nominis notione usurpata reperitur: quid cuique loco aptum sit, quid sententiae auctoris conveniens, num singulae enunciationis partes imagini adhibitae congruae, num vocabula apposita viae alicujus mediae notioni cognata aut adfinia sint, inquirendum erat. Jam vero exempla quum ab aliis, tum ab auctore nostro suppeditata vocem illam *medio* ibi tantum positam

---

[3]) Et hunc quidem non modo in adnotatione ad locum illum, sed etiam in Addendis, quibus commentarios copiosissimos adauxit sub fine Voluminis III. nuper in publicum editi p. 697.

ostendunt, ubi vel regionis vel loci alicujus descriptio fit situsque definitur, nec usquam vocabulo illo bonum aliquem scriptorem usum esse pro certo habendum est, nisi ubi loci aut viae sive notio sive imago ac species obtinet. Quod esse nequit, nisi accesserit enunciationis praedicatum notioni itineris vel facti vel faciundi prorsus congruens et conveniens, ut singulae imaginis partes plane inter se consentiant neque falsa aliqua aut fucata specie quasi disturbentur aut dilacerentur. Verum hic mihi objiciat aliquis, nonne verbum *ducere* ex eo genere est, quod tu modo et descripsisti et desiderasti? quid quaeso aptius et proprie magis dici potest, quam *ducere aut duci medio*? nonne id prorsus aequiparandum est dicto illi notissimo: medio tutissimus ibis? — Quod uti haud inepte monitum foret, ita ipsam illam locutionis et translationis similitudinem viris nonnullis doctis fraudi fuisse censeo. Nam inquirendum porro erat, quaenam intelligendae aut significatae sint totius alicujus corporis aut regionis partes, vel etiam notiones aut res, quibus *medium* interpositum et interjectum dicatur. Omnis scilicet pars media non secreta aliqua est et integra, sed ab aliis circumventa et conclusa iisque undique quasi adstricta et connexa. Itaque, uti *medio campi* et *medio montium et paludum* similiaque recte atque ex rerum natura dicta scriptaque legimus, ita prorsus a sana mente et cogitatione non magis quam a sensu omnium communi abhorrere videtur, *medium quiddam rationis* fingere atque *abundantiae*. Plane prodigiosi quid habet et horridi, ne dicam absurdi et insulsi haec imaginis qualiscunque species: quod ne durius et audacius pronunciatum habeatur, paucis jam sententiam meam excusare idoneisque argumentis firmare conabor.

Et primum quidem discernendum esse credo inter duas illas locutiones atque structuras, quarum una vocem *medio* cum Genitivo, altera cum praepositione *inter* conjunctam ostentat, quam utramque quominus promiscue usurpatam putemus quum vulgaris dicendi consuetudo, tum rationis leges prohibent, ex quibus quae mihi omnium potissima videtur, haec est, quod *medium* nec esse potest nec dici quidquam, nisi quod aeque distat ab regionis aut lineae alicujus *continuae* s. continuatae extremis finibus. Sint itaque necesse est aut mente animoque fingantur fines quasi ad utramque partem extremi, inter quos medio alicui consistere liceat. Illa autem de qua modo dictum est, continuatio qualis sit in rebus concretis et quae in sensus cadunt, per se intelligitur ususque vitae et operum quotidianus docet; sed quae sit in notionibus aut formis soli menti infixis, et quarum nullus prorsus datur adspectus, id non tam dubium est aut ignotum, quam ut a

me paucis demonstretur, haec quaestionis susceptae ratio postulare videtur. Itaque ut inde exordiar, quo suus quemque sensus ducit, nulla erit aut admitti poterit menti humanae loci alicujus *media positio*, nisi ubi duarum extremarum partium vel vere est vel cogitatur sive brevior sive longior distantia. Hoc autem inter utrumque terminum spatium interpositum ubi ad mentis et cogitationis formas transfertur, notionum ac rerum *diversitatem* efficit atque in primis spectatur tum in finibus bonorum et malorum, tum in vitiis hominum ac virtutibus. Quod ita fieri ac semper factum esse nemo mirabitur, si quidem non alia facile vitae et morum rationi ac notioni tam conveniat imago, quam viae, sive initae sive ingrediundae, aut etiam mensurae ac ponderis, quo utroque modo adhibito hominum probe ac recte aut improbe et prave facta metiamur. Jam vero sive a lance sive ab linea atque amussi, sive denique ab itinere imaginem petieris, unum semper reperies vinculum, quo extrema ac procul remota tamquam medio aliquo nodo constringantur: notionum est *similitudo* et quaedam inter se *adfinitas* vitiorum et virtutum [4]), quo ex genere esse diligentiam circa rem familiarem sive parsimoniam et largitionem vel profusionem quum exempla docent, tum loquendi usus et qua ille nititur, tamquam fundamento naturali, ipsa ratio et cogitatio. Exemplum habes luculentum hominis medium inter duo quasi extrema stricte ac strenue tenentis Atticum, qui quum, Cornelio teste, non indiligens esset paterfamilias, nunquam tamen amicis periclitantibus atque egentibus defuit. Ac si tu quaeris, quae sit *rationis* atque *abundantiae* sive diversitas, sive, quae hoc loco inprimis spectatur, notionum adfinitas, vix reperias talem discriminis notam, qua utramque vocem inter se naturali vinculo conjunctam censeas. Nam sive tu rationem accipias judicandi et discernendi facultatem, sive justam et accuratam rei numariae computationem et dispensationem, tamen cur et quomodo ab *abundantia* discernatur, cur huic potissimum notioni et conditioni opponatur, nulla in promptu est caussa idonea. Immo abundantia quum alia esse nequeat, nisi rerum et copiarum, id ipsum rationis esse concedes, ut quid et quantum vel redundet vel deficiat in re familiari, quid lucri quidve jacturae factum sit, quid in acceptis quidve in expensis referendum, numerando exigatur. Accedit, quod et abundantia quaevis in bonis habetur, non in malis, quibus homines adfligi se doleant, et ratio utraque, de qua dictum est, tum quae in recte judicando et cogitando cernitur,

---

[4]) Talis est locus, qui exstat apud Liv. Hist. XXII, 12 f. pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat.

tum quae numerandi est et computandi, virtutibus adnumeratur, non vitiis. Quid ergo inter utrumque bonum medium sit, vix ulla mentis aut artis subtilitate enucleabis. Itaque parum accurate egisse putaverim viros doctos, qui Beckeri aliorumque auctoritatem secuti, *abundantiam* Tacito significasse affirmant *divitias* et *luxuriam, rationem* idem quod *parsimoniam*: quam interpretationem talem censeo, qualem etsi multis in locis admissam atque usu etiam, pravo videlicet ac temerario, receptam, procul profligatam et exstirpatam velim: quippe alienae sententiae scriptoribus injunguntur et quod quis scriptorem dicere potuisse aut voluisse opinatur, id vere ille dixisse et judicasse putatur. At qui hac via in scriptores veteres grassantur, corpori male adfecto non medicaminis aliquid aut fomenti adhibuisse, sed vim intulisse videntur.[5]) Sed porro progrediamur et alterum illud argumentationis genus, de quo supra dixi, usurpare liceat, a vi et notione praedicati quod vocant, ductum. Scilicet interpretis officio non admodum satisfecisse mihi videntur, qui uno aut altero enunciationis membro explicato, vel singulorum vocabulorum notione definita, rem transactam et absolutam censent, nulla totius enunciationis sententiaeque venustatis ratione habita. Itaque parum rei expediendae consuluisse credo, quibus satis fuit de verbis scriptoris nostri *medio rationis* atque *abundantiae* judicium qualecunque pronunciasse, nulla plane cura et diligentia posita in verbo *ducere*, quo Tacitus usus est, quum explicando, tum excusando. Quae diligentiae pars eo magis hoc in loco desideratur, quo artior et elegantior verbi cum reliquis enunciationis partibus per imaginem adhibitam conjunctio est. Apparet enim, scriptorem a specie illa *mediae* cujusdam *viae* semel adhibita in verbo deligendo recedere non potuisse, immo in ea illum et constitisse et perseverare voluisse pro certo habendum est. Quare ante omnia videndum erat interpretibus illis, quorum sententiam impugnamus, ac demonstrandum, quo jure quaque quum sermonis tum elegantiae lege *ludos* atque inania honoris *media* aliqua *via* duxisse Agricola dici potuerit. Quae locutio atque imaginis forma, ut apte et ve-

---

[5]) Novissimum omnium Taciti librorum editorem Francisc. Ritterum in eadem sententia perstitisse, miratus sum: etenim et ille *abundantiam* intelligit *ein reichliches Vermögen*. Apud Nicol. Bachium, qui doctrinae suae copia et subtilitate magnam plerisque de sua in Tacito interpretando opera collocata spem excitaverat, haec ad locum nostrum adnotata leguntur: „Inania honorum in medio rationis atque abundantiae sita esse duxit, i. e. Beckero interprete, media inter rationem et abundantiam habenda esse putavit: *ratio* enim spernit inania, abundantia (i. q. divitiae, luxuria) autem gaudet inanibus; et Agricola — mediam tenuit viam, neque parsimoniae neque luxuriae ultra modum indulgens.“ Cur haec ita expressa mihi quidem parum probentur, non est quod demonstrem.

nuste composita et usurpata aut ad rerum naturam expressa sit, admodum vereor. Primum enim offensioni est propria illa *ducendi* notio, quam ut hoc loco tueamur ac retineamus ipsa imaginis adhibitae ratio postulat. At, quod *ludos ducere* h. l. idem esse nonnulli contendunt, quod *edere*, exemplo a pompa sumpto, id nescio an ita pronunciatum sit, ut sibimet ipsi fraudi fuerint, qui haec ita asseverarent. Quid enim quaeso illud foret dictum, si cui in mentem veniret locutionem componere hancce: *medios* rationis atque abundantiae ludos *edidit?* Ita certe dicere per illam interpretationem haud illicitum esse nemo negabit. Deinde sponte intelligi credo, uti agmina et pompae et chori et alia talia recte et proprie duci dicuntur, ita ludos *duci* non posse sic, ut *viae* aut *tramitis* aut *tractus* notio *ducendi* verbo adjungatur. Prorsus enim ab rerum natura atque ab institutis Romanorum abhorret notio illa atque imago, quum omnia omnino ludorum certamina uti apud Graecos ita apud Romanos intra locorum sacrorum fines ac limites constitutos edi et componi sollemne esset. Quae quum ita sint, non temere aut inconsulto a nobis factum esse credimus, dum imaginem s. metaphoram a prudentissimo et subtilissimo scriptore admissam esse negamus, quae neque actionis, quam verbum *ducere* proprie denotat, neque loci, ubi res peragi solebat, notioni ulla ex parte congruit. Nihil dico de eo, quod quomodo *inania honoris* cum verbo *ducere* conciliari queant, difficile sane est perspectu; unum moneo, falsos esse interpretes, quibus *inania honoris* a Tacito vocata et cum *ludis* edendis composita explicationi tantum inservire videntur, quasi per figuram, quam vocitant ἓν διὰ δυοῖν, auctor ludos designare voluerit, qui inanem ferant honorem: quae interpretatio quam procul a vero absit, posthac demonstrabitur.

Itaque locum impeditum alia ex parte aggredi et quantum *conjecturae* tribuendum sit, inquirere libet, a Lipsio primum tentatae, paucis ex posterioribus approbatae, ex qua legendum esse suadebant: *moderationis* atque abund. Habet haec velut conditio oblata blandimenti aliquid et quo facile commovearis: nam et mutatio verborum levis est, et structura usitata et sententia fortasse haud absurda tibi certe primum audienti aut legenti videbitur. Verumtamen ne Rothii quidem, quantumvis gravis harum rerum arbitri, auctoritas ad omnem dubitationem tollendam sufficere mihi visa est. Nam etiamsi vocabulum illud substitueris ex duobus conflatum, iisdem tamen tenebris circumfusum mox reperies locum; quippe quae sit moderationis atque abundantiae inter se communio, vix exputabis nisi per argutias atque ambages. Deinde moderationem novimus animi fere esse atque ad sensus

spectare et adfectus, non hominis in sumptibus faciundis intra justum modum sese continentis; conspicua potius fit virtus illa moribus atque ingenio eaque maxime temperatione, qua in alios nos gerimus homines, quibuscum vivimus: his enim moderationem nostram atque modestiam comprobemus necesse est.[6]) Prorsus itaque honestatis ac generositatis pars est et hominis sibi ex aequo temperantis animique firmi et constantis, non ratiocinantis aut suis rebus suisque commodis prudenter aut callide prospicientis: quod esse solet mercatorum, negotiatorum et quicunque quaestum faciunt. Quae cuncta quippe trita et ubivis obvia exemplis illustrare non pretii est, praesertim si lectores benevoli attendere velint eam, quam c. 7. in. Tacitus ipse hujus vocis atque virtutis ipsis rebus enarratis definiri et constitui voluerit notionem. Verum, praeterquam quod emendationem illam sive conjecturam rejiciendam esse censeo, quod a proprietate sermonis abhorret, totam etiam enunciationem ita immutatam rationis legibus repugnare nobis persuasum est.

Sed ne viros quosdam doctrinae copia et subtilitate insignes temere erroris coarguisse videar, brevi suspiciones mihi subortas enumerabo. Primum quidem valde dubito, quin vulgaris illa verbi *ducere* notio, qua idem fere auctori nostro fuisse creditur quod *existimare*, loci fuerit ac temporis. Id autem praecipuum quiddam est, cuilibet scriptori observandum, ut quod cuique loco sit aptissimum, deligat verbum ac nomen. Ac si Agricolam ludos — moderationis atque abundantiae *duxisse* sive *existimasse* contendimus, quid quaeso haec ad rem, de qua scriptor exponit? Nonne *edendorum* aut *editorum* ludorum hic potius aliqua a scriptore mentio fieri debebat, quam rationis, qua in ludicris illis et spectaculis agendum esse Agricola censuerit? Idque eo magis a scriptore verbis exprimi debuisse credo, quod deinceps statim addidit, uti longe a luxuria, ita famae propiorem evasisse Agricolam. Nemo enim a luxuria sese abstinuisse famaque et existimatione apud suos auctus esse dici potest, nisi qui agendo et factitando aliorum in se convertit hominum oculos et animos, suosque mores ac sensus aliis approbaverit. Quod quum sentirent hujus loci interpretes, verbo *ducere* id sive gravitatis

[6]) Multis pro consuetudine variisque exemplis hanc *moderationis* notionem atque naturam celebravit Valerius Max. IV, 1. Qui quamquam a dicendi genere parum polito non magis quam a nimia quadam et intempestiva colligendi et congerendi sedulitate judiciique levitate male audit apud severiores judices, (cfr. Bernhardy, *Grundriss der Röm. Litter. p. 270.*) sibi tamen in hac virtutis specie illustranda constitit, sic ut non plane respuenda videatur ejus auctoritas. Adde aliud exemplum idque notissimum Pomponii Attici, a Cornelio relatum c. 14, 2.

sive potestatis addiderunt, ut substituendum esse censerent mente et cogitatione, *habendos* esse ludos vel in iis edendis *agendum* esse sive moderatione sive ratione et abundantia. Verum eo ipso mihi contineri videtur primum quasi peccatum, quod alias multas post se traxit falsas et ineptas opiniones. Itaque quid proprie significet *ducere rationis* atque *abundantiae*, quaerendum est, inque eo totius caussae summa posita erit, ut a me demonstretur, veram et usitatam multisque exemplis firmatam ac sustentatam significationem a loco nostro prorsus alienam esse, eamque admitti aut quasi in auxilium arcessiri non potuisse, nisi per nimiam quandam sive licentiam sive festinationem nonnullorum interpretum. At primum observatione dignum censeo, quid discriminis inter *existimandi* similiumque verborum notionem intercedat et *ducendi*: id quod esse pro certo habeo. Proxime autem verbum *ducere* accedit ad notionem verbi *habere* eamque existimandi ac statuendi formam indicat, ubi rebus gestis et patratis mens nostra adfecta est et commota, sic ut et arcta quaedam communio sit *judicii* cum iis quae acciderunt, et eorum omnium, quae vel sentimus vel experti sumus ad mentem nostram velut delatio, sic ut *ducere* interpretari queas: ad se i. e. in judicium suum ac sensum *trahere*, sibi cogitando et sentiendo arrogare, *sumere* prope dicas: unde factum est, ut recte dicatur: suae gentis cladem *pro sua ducere* Liv. XXXVIII, 26. 6. Nos quidem in tali existimandi et statuendi conditione addere consuevimus: *nach meinem Gefühle*: unde id sequitur, ut verbo *ducere* notio judicandi non insit simplex sive absoluta, sed quae ad suam cujusque mentem et sensum refertur. Sed haec levioris momenti sunt; plus fidei sententiae pronunciatae fecisse mihi videbor, si mihi contigerit tum meditando, tum circumspiciendo explorasse, quid proprie sit *rationis* atque *abundantiae* ducere. Quam inquisitionem priusquam aggrediar, de Genitivi notione paucis exponere opus est. Is autem casus in tali structurá et conditione proprie *possidentis* est, veluti si scriptum legimus Liv. II, 38, 5.: Et hanc urbem vos non *hostium* ducitis? Atqui in vocabulis significationis *abstractae* quum possessionis, quae vocatur, vis atque potestas obtinere nequeat, *partis* notionem substituere prorsus naturae consentaneum est, sic ut *flagitii* ubi quid ducendum esse affirmamus, id a dictum accipiamus, quasi sententia sit: in flagitii loco et ordine aliquid ponendum sive, quod paene idem declarat, *pro* flagitio habendum esse. Attamen observanda est quaedam judicii subtilitas atque sermonis in discernendo ac definiendo diligentia, qua fit, ut *officii* ducere non prorsus idem sit, quod *officium* ducere. Sunt enim notiones nonnullae absolutae atque ad speciem quandam perfectam conformatae *virtutis* maxime et *honestatis*, aut

obligationis alicujus, quibus si Genitivo casu, cum verbo aliquo existimandi vel judicandi conjuncto, utaris, notio inhaeret non partis, sed *necessitatis* cujusdam devincientis et adstringentis. Neque id absurde factum esse inde colliges, quod singula quaeque totius alicujus sive corporis sive notionis pars necessario quodam vinculo cum reliquis connexa cogitari debet. Quare qui *officii duxisse* dicitur aliquid, ei persuasum fuit vel officii partem aliquam ipsi praestandam esse, vel ab ipso quasi officio, pleno et absoluto, quale mente animoque comprehenditur, aliquam ipsi impositam esse *necessitatem*: quae et ipsa consequitur ex notione *possidendi*, quandoquidem, qui possidet, jus suum in possessionem exercet. Illius autem necessitudinis, quam per Genitivum nonnunquam designari diximus, adfinis est species quaedam *opportunitatis* datae, quippe, qui ad agendum obligatum se existimat, copiam quoque sibi factam vel virtutis vel industriae suae exhibendae sentit. Quae omnia diligentius examinata et ponderata eo nos adduxerunt, ut locus ille Taciti ita emendatus, uti nonnullis interpretibus placuit, *ludos moderationis atque abundantiae duxit,* aliam sententiam continere non posse videretur, nisi hanc: ludos et inania honoris pro suo ingenio ac sensu ejusmodi esse existimavit, quae opportunitatem praebeant moderationis atque abundantiae ostentandae: sic ut utraque virtus sive utrumque bonum spatium quasi haberet exemplorum. Quae sententia per se spectata ne nobis quidem inepta aut moribus viri aliunde cognitis et compertis indigna videretur, nisi duae diffidendi ac dubitandi caussae subessent minime aspernandae. Primum parum liquet, quomodo quis parcus simul dici possit et non liberalis modo, sed magnificus in ludis adornandis et instruendis. [6]) Scilicet *abundantiam* Tacito dictam et intellectam esse rerum necessariarum copiam quandam adfluentem, omnes consentiunt: unum restat, de quo quis haud immerito ambigat, utrum *abundantia* hoc loco intelligenda sit ipsius apparatus omniumque cujusvis generis instrumentorum copia et magnificentia, an cogitandum sit de rei familiaris et pecuniae impendendae multis et magnis subsidiis. Nobis quidem magis eo inclinat animus, ut rei familiaris abundantiam significatam putemus, quam apparatus et supellectilis. Exemplo est commeatuum abundantia, quae ditur

[7]) Quod ne quis ita intelligat, quasi pro conditionum ac rerum diversitate eundem minem tum parsimoniam, tum munificentiam exercere posse atque etiam debere negaverir Unius et alterius documenta edidisse legimus Tiberium Tacit. Annal. II, 38. coll. 48. et Pomponium Atticum, quamquam diligentem rei familiaris tutorem et curatorem nunquam tamen amicos indigentes destituisse Cornelius testis est. Cfr. Vita Attici c. 11. supra p. 9.

Agric. c. 33. f. Sed aliud praeterea est, quod suspicionem movet, quominus sententiam illam, quamquam probabilem, ratam et fixam habeamus. Dictum est supra, constructionem verbi *ducere* cum Genitivo nominis, quo illud referatur, ibi tantum locum habere, ubi necessitatis suopte cuique judicio injunctae notio et conditio accesserit. Igitur, uti recte abundantiae vel opulentiae esse dicitur, *ludos edere* et inania honoris colere et ostentare, ita *ludi moderationis* esse nequeunt, quoniam ab ea talia non requiruntur, non magis quam a parsimonia. Plane igitur deest necessitudinis vinculum, quo quicunque ejusmodi sententiam profert, duas inter se sive res sive actiones connexas esse sentit. Accedit, quod rei peragendae ne mentio quidem facta est, quod et ipsum ab consuetudine dicendi longe abhorret; nam ludi utique et inania honoris ex institutis sunt sollemnibus, quae si Agricola sive moderationis sive abundantiae duxit, nihil fecit, nisi animi sensum suumque hisce de rebus judicium manifestavit. Quare non injusta aut vana foret dubitatio, certe si quis verbis pressius insistat, num Agricola ludos vere ediderit, an non? Nihil enim prohibet, quominus hominem modestum et consideratum assidua et diligenti quum ingenii sui reique familiaris, tum temporum et saeculi morum aestumatione facta eo adductum cogitemus, ut rationibus quasi subductis aeque se expertem senserit moderationis servandae atque abundantiae, eoque factum esse, ut ille prorsus a ludis edendis abstinere maluerit, quam periculum subire, cui imparem sua ipsum conscientia coargueret. Itaque melius huic loco consultum fuisse crediderim, si cui placuisset pro sua divinandi facultate suspicari, num forte particula *atque* mutanda sit in *neque?* [7]) Qua levi admodum facta immutatione sententia evaderet haec: Ludos aliaque vulgaris ambitionis studia ejusmodi esse censuit, quibus ad moderationem suam in vulgus comprobandam se incitatum putaret, non ad opulentiam ostentandam. Cui sententiae eadem, de qua modo dictum est, obstat locutionis et constructionis novitas et insolentia: *ludi enim* ita haberentur quasi pro subsidiis proque instrumentis, quibus moderatio vel provocetur vel manifestetur; eaque dicendi ratio prorsus composita foret ad modum structurae Sallustio, Livio, Tacitoque frequentatissimae, qualis est *exercitum opprimundae libertatis habet.* Sall. Or. Phil. 3. — Valeat itaque moderatio, quantumvis bona et laude digna, retineaturque vestusta codicis scriptura: *modo.* [8])

---

[8]) Video jam, idem ante me suspicatum esse *Colerum.* Cujus adnotationem insertam reperies Commentariis editionis Gronov. Amstelod. 1672. Vol. II. p. 717.

[9]) Quod ne audacius atque asperius a me dictum nonnullis videatur, vereor. Nam praeter Oberlinum etiam J. Bekkerus *moderationi* favet, repudiatis et *modo* et *medio*, et Boetticher. in

Verumtamen nondum consummata est disputatio; siquidem nihil adhuc didicimus, nisi locum varie esse exagitatum, huc illuc versum, denique etsi non inexplicabili, tamen flexiloqua quadam obscuritate involutum: mirum enim ac paene prodigiosum est, tot et tam varias uni loco adstructas videre interpretum opiniones. Atque ipsa hac diversarum sententiarum farragine non nego me aliquando ad id desperationis redactum esse, ut voculam *modo* plane exstirpandam eamque per librarii errorem inductam crederem, antiquitusque scriptum conjicerem: *morationis* [9]) atque abund. Sic ut vocabulo illo rariore quidem, sed Latinae stirpis denotatam existimarem ab auctore inutilem et frivolam temporis honestique otii consumptionem: *Zeitverlust, Zeitverderb*; abundantiam autem cum Boetttichero significare putarem *supervacanei* cujusdam operis et muneris conditionem. Attamen ipsa Codicum paucitas cautius agere suadebat, inque vestigiis antiquissimae scripturae insistere satius videbatur. Nec vero acquiescere licebat aut lubebat in notione verbi *ducere*, quam huic loco plerique vindicarunt, ut a *pompis ducendis* notione ad ludorum sollemnia translata quasi per Synecdochen cognata habeatur significatio verbo et locutioni longe usitatiori: *edere* ludos: novum enim id plane existimo et inauditum et quomodo ad *inania honoris* salvis rationis legibus referri potuerit, etiamsi a Zeugmatis forma aliquid excusationis petere liceat, vix ratiocinando assequaris. In hac igitur rerum ambiguitate dum circumspectabam nova aliqua loco veluti aggravato levamenta, bonae spei aliquantum adferre videbatur Marklandi eruditissima ad Statii Silv. V, 3, 92. adnotatio, ubi multis et luculentis variorum scriptorum, poetarum maxime, exemplis verbi *ducere* propria et elegans cum nominibus quibusdam illustratur compositio. Itaque quemadmodum sollemnes erant dictiones: *ducere cantus, dolorem, volatus, suspiria, gyros, querelas*, quibus nihil fere designari Marklandus ait, nisi actionem, quae nomine substantivo continetur, sic ut *ducere dolorem* dictum accipias pro *dolere*, similiter alia; nihil impedire opinabar, quominus *ludos ducere* eadem licentia et consuetudine positum existimarem; nisi quod Marklandi interpretationem artioribus

---

Lexico Tacit. p. 306. alterutram hanc scripturam qui adsumserint, mirum in modum loci sententiam *contorsisse* ait. Cui itaque crimini etsi me quoque obnoxium sentio, tamen ubi ratione agitur et consilio, tale praejudicium non reformidandum est.

[10]) Scilicet errori caussam dare poterat compendiaria scribendi ratio, qua passim in voce *modo* designanda usos esse librarios codices produnt. Cfr. Freund in Indice Compendior. ad Cic. Orat. p. Mil. p. VII. et Drakb. ad Liv. III, 53, 5.

limitibus circumscribendam esse iisdem, quae ille congessit, exemplis docebar. Modum enim vir summus eo mihi excessisse videbatur, quod *cantus ducere* nihil esse nisi *canere* pro auctoritate sua asseveraret. Sponte enim intelligitur, duas potissimum singulares illius locutionis notas addi debuisse, quarum una haec est, quod verbo *ducere* diuturnitatis sive spatii paullo longioris notio inest; cujus proprietatis documentum habes clarissimum locutionem illam notissimam: *bellum ducere*. Altera nota, qua dignoscere queas verbum aliquod simplex et dictionem ex verbo et nomine compositam, priori illi adfinis est, sed propria. Quaecunque *duci* dicuntur, non modo non *subita* sunt et *repentina*, neque abscissa sive abrupta, verum *continuationis* notionem requirunt: quae qualis sit, exemplo quaeso sumas locutiones passim usurpatas: *gyros ducere, fossam, parietem, muros, lanas.*

Sed de his hactenus; tempus est hujus dissertationis facere finem: itaque quae reliqua sunt, paucis absolvam. Et primum quidem id praemoneo, Marklandum mihi non tam consultorem ac suasorem exstitisse quam ducem, quippe qui viam quasi aperuerit, qua ut progrederer quum verborum proprietas ususque loquendi, tum sententiae concinnitas ejusque cum reliquis narrationis partibus convenientia impulit. Itaque non dubito, quin *ducere* hoc loco a Tacito eo sensu dictum sit, quo *bellum ducere*, vel eadem notione, qua Annal. II, 34. Tiberius memoratur *sermonibus variis tempus atque iter ducens*; quod quid sit, interpretatione non eget. —

Quid itaque fecisse putas Agricolam, quaeret quispiam, dum *ludos* et inania honoris modo rationis atque abundantiae *duxisse* traditur? Cui equidem respondeo haec. Primum *ludorum* edendorum *continuationem* quandam indicare voluisse Tacitum existimo, si quidem ludorum non splendor modo et magnificentia spectabatur, sed tum numerus, tum spectaculorum repetitio et per plures dies continuatio. Deinde sponte intelligitur, quam apte quamque eleganter *modus* ab Agricola observatus dicatur in ludis protrahendis. Itaque eum cogites et numerum et amplitudinem ludorum edendorum ad normam rationis atque abundantiae exigentem sibique quasi in sumptibus faciundis modeste ac prudenter temperantem, ne ultra facultates impensas fecisse sibimet ipse aliquando vitio vertat. Quod autem *modo* rationis dixit Tacitus, id quidem, quoniam paullo insolentior haec vocabuli notio et collocatio nonnullis visa est, inde excusationem, si qua eget, habebit, quod si rationis *modo*, transposito vocabulo, dixisset, verendum erat, ne significationis ambiguitas exoriretur proque adverbio sumeretur nomen. Deinde optime et prorsus ex quotidiana loquendi consuetudine vocem illam collocatam esse, id argu-

mento esse poterit, quod si Tacitus non *ultra modum* Agricolam duxisse scripsisset, nemo facile in verbis haereret: quaecunque enim *ducuntur*, ad terminum quendam produci et trahi solent, intra quem consistere vel necessitas cogit, vel sapientia atque consilium jubet. *Rationem* autem alii ad prudentiam referunt, alii accuratam computationem intelligunt atque accepti et expensi comparationem, qualis quum honestissimi cujusque apud Romanos fuisse traditur, tum etiamnum diligentis et circumspecti cujusque patrisfamilias esse solet. Quam quidem interpretationem priore illa potiorem censemus; optime enim convenit *abundantiae* notioni sententiamque efficit talem, qua non aliam ullam aptiorem aut veriorem duco. *Abundantia* scilicet nobis non est exuberans quaedam aut larga popularium munerum apparatio, sed prorsus ad similitudinem Graeci vocabuli περιουσία, eam intelligendam esse censemus rei familiaris affluentiam, quae rationibus diligenter subductis ad sumptus honorarios faciendos, salva re familiari, superesse videbatur.

Procul itaque abfuit Agricola ab insana et prava plerorumque intemperantia et lubidine, qui ut et suae ambitioni et moribus saeculi satisfacerent, vel magno aere alieno contracto vel rebus suis plane deperditis et profusis ultra modum et facultates sumptu et magnificentia ludorum progredi solebant: ipsum enim nihil inanibus illis honoris sive officiis sive muneribus impendisse atque ex penu suo quasi prompsisse credas, nisi quod *abundaret*, sive quod et quantum ex reditibus *superflueret*: secus agere atque ultra modum rei familiaris, quae cuique suppeteret, sumptus profusos facere, luxuriem censebat. *Inania* denique *honoris* non explicandi tantum gratia addita puto, sed reliqua significari credo quum munerum tum apparatuum genera, magistratibus in populi gratiam exhiberi solita, qualia erant certamina gladiatoria, venationes, naumachiae. Adde, qui haud dubie requirebatur, amplior et sumptuosior et domus et totius supellectilis familiaeque cultus et apparatus, cum altiore quovis dignitatis gradu augescens. Ceterum non est quod moneam, *inania honoris* ideo dicta esse, non quod omnino essent *magistratus* sive cum praetoris munere atque officio necessario conjuncta, ut optimo veluti jure ab eo postulari exspectarique possent, quemadmodum *ludi*, sed quia vere *honoris* potius essent et haberentur, quam officii. Neque enim *honores* unquam eodem sensu vocantur, quo *magistratus*; semper illis inhaeret aliquid dignitatis et excellentiae, qua quis publice ornatus et auctus putabatur. Itaque quamquam non prorsus abnuerim in hoc Taciti loco, uti in aliis multis, particulam *et* atque huic cognatam *que* prope accedere ad notionem adverbii appositi: et *omnino*, tamen accuratius ac verius hanc vel

particulae copulativae vel sermonis proprietatem definiri credo, si explicandi ratio et formula adsumitur haec: et *quae illis adfinia sunt*, sive: et quae *ejusdem* fere *generis* sunt. Solent autem in ejusmodi duarum rerum vel notionum junctura scriptores non promiscue unam et alteram collocare, sed suo quamque loco ponunt *primariamque* et *praecipuam* antecedere, inferiorem aut minus gravem sequi jubent. Cujus rationis locus noster insigne documentum est: sed quo illa nitatur fundamento, cur ita verba collocare prorsus necesse sit, nisi quis rationis et sanae mentis legibus repugnare velit, et sua sponte quisque intelligit, et exempla passim obvia declarant.[11])

Postremo quum rariorem apud veteres scriptores factam videamus mentionem *praetorum*, quibus spectacula edere vel muneris, vel voluptati fuerit, quumque hac de re post Savilium, cujus observationem parum accuratam editio Gronov. exhibet, nihil fere ab interpretibus ad locum nostrum adnotatum reperiatur, tironum maxime necessitatibus consultum putabam, si in memoriam revocarem, quae ab Augusto quum recens instituta, tum immutata traduntur a Dione Cass. XIV, 2. Ille enim, postquam summa rerum potitus est, non modo praetoribus ludorum omnium et spectaculorum curam injunxit utque iis ex publico aerario aliquid levamenti daretur instituit, verum etiam ne quis plus reliquis in eos impenderet ex suis facultatibus sapienter praescripsit: praeterea gladiatoria munera bina tantum singulis annis neque plus quam centum viginti gladiatorum edi voluit, neque nisi permissu Senatus. De qua lege quid et quantum posteriore tempore pro sua quisque Imperatorum vel potentia vel lubidine derogaverit, exemplo est Galba, qui Praetor factus novum spectaculi genus, elephantos funambulos edidisse narratur a Suetonio Galb. 6. Ceterum et in vetere republica Romana ludos quosdam sacros Praetoris urbani potissimum curae demandatos fuisse Livius testis est Lib. XXV, 12, 14. Cf. Drakenb. ad h. l. et Schwarz. ad Nieuport. p. 151. Nam quod a Plutarcho Brut. c. 10. passim testimonium sumptum vidi, quo demonstraretur, Praetoribus antiquitus id muneris impositum fuisse, ut ludos ederent et spectacula, id ego equidem magis ad posteriorum saeculorum mores et instituta accommodatum existimo, quam ex vera reipublicae, qualis tum erat, conditione relatum. Cfr. Pitisci Lexic. Antiq. Rom. Tom.

---

11) Hujus generis complura, pro sua et diligentia et judicii subtilitate congessit Fabri ad Liv. XXI, 55, 2. Cfr. Handii V. Cl. Tursellin. II. p. 480. 12. ubi tamen, qui in eadem classe referuntur loci Ciceronis, in quibus particulae copulativae adjuncta reperiuntur vocabula *cunctus* et *totus*, aliquanto diversi generis esse contenderim.

II. p. 241. et Savilium l. l. Nam et nominis στρατηγός, quo usus est Plutarchus, significatio anceps est, et Cassii ad Brutum quae ibi referuntur verba, animi sunt vehementius commoti, et Plutarcho in rebus Romanis enarrandis humani interdum aliquid accidisse erroris, bene norunt hujus scriptoris ceteroquin cujusvis virtutis et veritatis amantissimi lectores. Videant jam eruditiores, num veram scriptoris sententiam assecutus sim, necne; certe non frustra locum tentasse mihi videbor, ubi haec ita a me disputata aequis lectoribus non prorsus improbata esse comperero. [12])

Quae superest officii pars quamquam praecipua, postremum tamen locum obtinere consuevit, ea potissimum opinor de caussa, ut modestiae specie assumpta magis sese insinuet in hominum animos. Reliquum enim est, ut ad Sollemnia crastino die concelebranda publice invitemus **INSPECTORES** Gymnasii **SUMME REVERENDOS**, civitatis nostrae **PROCERES AMPLISSIMOS**, rerum nostrarum **FAUTORES EXOPTATISSIMOS**: quos omnes hisce literis qua decet pietate et verecundia rogatos volumus, ut sua praesentia et diei sollemnitatem condecorent, et adolescentulis verba facturis ad optima studia persequenda honestissimi incitamenti aliquid adferant.

Prodibunt autem discipuli secundae classis quatuor, pro sua quisque dicendi facultate verba facturi: Et primo quidem

CAROLUS FRIDER. AUG. HOFFMANN, Lobensteinensis,

sententiae Livianae pondus et gravitatem oratione Latina explicabit: *laborem voluptatemque societate quadam inter se naturali esse juncta*;

deinde RICHARDUS EDUARDUS BRANDT, Unterhusanus,

carmine Germanico *cum diei natalitii Jesu Christi laetitia piam defunctorum memoriam* artissime conjunctam celebrabit;

tum OTTO CAROLUS HENRICUS EYRING, Geranus,

Christinae, Magni Gustavi Adolphi filiae, Sueciae quondam reginae, *mores* atque *ingenium* oratione Germanica describet;

postremo OTTO MUELLER, Geranus,

pietatem in Deum animique probitatem optimam vitae nostrae ducem carmine Germanico commendabit.

GERAE, Kal. Jan. MDCCCXL.

---

[12]) Est itaque sententia nostra atque non tam singulorum verborum in nostrum sermonem conversio quam loci interpretatio haec fere: *Die Spiele und den eitlen Ehrenprunk seines Amts dehnte er nicht weiter aus, als nach dem Masse genauer Berechnung und wirklichen Ueberflusses: d. i. beschränkte er auf das Mass des durch weise Berechnung erkannten entbehrlichen Vermögens.* — Sic vita et factis comprobavit Agricola, quid illud sit: *retinuit ex sapientia modum*, c. 4. extr. quamque recte praeceptum fuerit a Cicerone Legg. II, 23. in quovis sumptuum genere *modum* requiri. — Ceterum notularum numeris inde a pag. 14. inter se discrepantibus ne perturbentur quaeso lectores.